



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 1. Quid est Testamentum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

consentirent in idem, si diversimodè rem intelligerent. 2. Ut res, de quâ contenditur, sit incerta utrique contrahenti. Alioqui jam non esset æqualitas in spe, & periculo, quæ ad justitiam sponsonis requiritur: nam sponso est contractus onerosus, quo emitur spes lucrandi periculo perdendi.

Hinc si quis certus de rei veritate, vel eventu, aliquid sponso lucratum est, tenetur id restituere, etiamsi de sua certitudine alterum monuisset, qui nihilominus vellet contendere: quia hic non vult donare, aut se punire, sed spondere, eo quòd putet rem esse semper incertam, & falli ab alio: & ideo diligenter postea veritatem inquit. Cum autem in sponso ematur, & vendatur spes lucri periculo amittendi, veluti merx pretio: si nullum sit periculum perdendi, nihil emitur, nec venditur: ac proinde invalidus est contractus, sicuti invalida est emptio gemmæ falsæ pro vera, etiamsi emens monitus fuisset falsam esse, sed credere noluisse. *De Lugo.*

## CAPUT XII.

### *De Ultimis voluntatibus.*

**Q. I.** *Quid est Testamentum?*

*Resp.* **Q** Est legitima dispositio de iis, quæ quis vult fieri post mortem cum institutione hæredis, vel legatarii universalis. Quod addo, quia

quia in Gallia ad testamentum non requiritur hæredis institutio: imò si fieret, dicitur testamentum à iudicibus declarandum esse ritum: quia lex consuetudinaria permittit solum institutionem legatarii universalis.

Dividitur in solemne, in quo servantur omnes solemnitates à jure præscriptæ; & in privilegium, quod valet etiam si non omnes illæ solemnitates servantur, tale est testamentum militare. Solemne subdividitur in scriptum, seu clausum, quod fit scripto coram testibus requisitis; & in nuncupativum, seu apertum, quod fit viva voce coram testibus requisitis, licet postea possit scripto mandari.

Circa solemnitates à jure in testamentis requisitas consuli debent leges, ac locorum consuetudines.

Jure autem Cæsareo ad testamentum scriptum hæc requirentur. 1. Ut hæres claris, & expressis verbis instituat, illiusque nomen propria manu testatoris scribatur; vel si aliena ipse testator subscribat, & subscriptum, ac involutum ostendat testibus, dicatque in eo suam ultimam voluntatem contineri. 2. Ut adhibeantur septem testes rogati, masculi, puberes, idonei, hoc est, qui non excludantur à jure, quales sunt hæres, Filius familias, furiosi, damnati ob crimen, &c. 3. Ut omnes, & singuli testes nomen suum subscribant propria manu, & annulo, seu sigillo obsignent. 4. Demum ut id totum in uno eodemque loco,

pore unôque contextu peragatur. l. 21. Cod. de Testam.

Ad nuncupativum requiritur solùm, ut testator suam ultimam voluntatem tam circa hæredis institutionem, quàm circa legata coram septem testibus, masculis, liberis, puberibus, & ad id vocatis declaret, distincta voce, ut possit audiri.

*Q. 2. An testamentum destitutum solemnitate requisita à Jure Civili validum est in conscientia?*

*Resp.* Circa hoc multiplex est sententia. 1. Docet tale testamentum esse invalidum in utroque foro, ita ut hæres per illud institutus, & legatarius teneatur ante sententiam judicis restituere hæredibus ab intestato. 2. Afferit valere in conscientia, ita ut hæredes ab intestato non possint licitè repetere hæreditatem, vel legatum, etsi adjudicetur ipsis à judice, teneri ad restitutionem, si ipsis constet de voluntate testatoris. 3. Inter has media docet illud nullam parere obligationem civilem, sed solùm naturalem, & quidem infirmam, quæ per judicem tolli possit: atque ita non esse omnino invalidum in foro conscientiæ, sed valere ad hoc, ut hæreditas, vel legatum possit retineri in conscientia, donec à judice adjudicetur hæredibus ab intestato: neque etiam omnino firmum, quia post sententiam judicis relicta per illud restitui debent hæredibus ab intestato.

*Ita*